Philologia

Poëtae Latini

Horatii (Quinti flacci) Epodos.

Lipsiae per Mart. Herbipolensem. 1492.

Hain Repert. bibl. N. 8.904.

Horatius Flaccus : Opera. Pars V Epodes
Leipzig, M. Landsberg 1492

BMC. III, 637, IA 11867-75



Quinti Horatii flacci epodos.

Deus meus quid me dereliquisti

Que potissimum ad explanationem huius

preclarissimi carminis attinent: Imprimis videndum sit qualis sit huiusce opusculi titulus que mecenatis vita: et carminis qualitas. Titulus talis est Oracij venusini vatis carmen epodon incipit. Epodon autem dicitur ut placet acroni. Quia post unius vox est eius hoc nam epos id est et quod carmen sit epodon diminutive i. parvum carmen. Quod alternis clausula brevius dicitur. Cuius [illegible] versum integro subiciat. Poete vitam hoc loco silencio preterire constitui. Maxime cum ea potius in aliis operibus precantur. Ceterum arbitror nihil epodo exponendo potius aliquid de vita mecenatis esse dicendum. Ad quem hoc carmen preclarissimum dirigitur.

Mecenas Augusti tempore floruit

vir quidem doctus et inclitus [illegible] et [illegible] et [illegible] Suetonius autem de augusto scribit [illegible] mecenatis [illegible] et paulo [illegible] cogitabat [illegible] mecenatem [illegible] hunc [illegible] augusti [illegible] [illegible] apianus [illegible] li: [illegible] bellorum civilium [illegible] [illegible] quod [illegible] bellum augusto [illegible] [illegible] pompeius mecenatem [illegible] roma [illegible] ut eos qui ob magni pompei [illegible] elati fuerant [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] regibus [illegible] oracius [illegible] mecenas [illegible] [illegible] regibus [illegible] li: [illegible] ad mecenatem. Mecenas eques [illegible] [illegible] regum [illegible] fortuna. Qui [illegible] esse [illegible] hunc acron [illegible] [illegible] senatoris dignitate [illegible] [illegible] Scripsit autem inter alia libri qui [illegible] [illegible] Seneca in epistola [illegible] meminit. Deque ex epla [illegible] plura dixit. Marcia [illegible] [illegible] [illegible] gladio: [illegible] [illegible] [illegible] virgilius usus est. Et oracius [illegible] bona [illegible] hunc agit li: 2o [illegible] [illegible] addes [illegible] que [illegible] laborem [illegible] merito [illegible] nostre mecenas. Marcialis item sint mecenates non derunt [illegible] maroes.

De qualitate carminis

[illegible] carminis iambicum appellatur [illegible] [illegible] ut oracius [illegible] longa brevi [illegible] iambus pes [illegible] [illegible] versus est [illegible] [illegible] qui et trimeter [illegible] Constat ex pedibus sex [illegible] [illegible] iambis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Queri autem solet

[illegible] appellatur [illegible] [illegible] pedes [illegible] [illegible] et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] versus et dimeter [illegible] [illegible] [illegible]

Demonstrat oracius quam amicus sit desa...

Liburnum

Quinti Horacij Flacci Epodos
Incipit Ad Mecoenatem.

Bis liburnis inter alta navium
Amice propugnacula
Paratus omne caesaris periculum
Subire mecoenas tuo
Quid nos: quibus te vita sit superstite
Jucunda: si contra gravis.
Vtrum ne iussi persequemur ocium
Non dulce: ni tecum simul
An hunc laborem mente laturi decet
Quem ferre non molles viros
Feremus et te vel per alpium iuga
Inhospitalem et caucasum:
Vel occidentis vsqz ad vltimum sinum
Fortis sequemur pectore.
Roges tuum laborem quid iuvem meo

Imbellis ac firmus parum

Comes: minore sum futurus in metu

Qui maior absentes habet.

Vt assidens implumibus pullis auis

Serpentum allapsus timet

Magis relictis: non vt adsit auxilij

Latura plus presentibus.

Libenter hoc et omne militabitur

Bellum in tue spem gratiae

Non vt iuuencis alligata pluribus

Aratra nitantur meis

Pecusue calabris ante sydus feruidum

Lucana mutet pascua

Nec vt superni villa candens tusculi

Circaea tangat moenia

Satis superque me benignitas tua

Ditauit: haud parauero

Quod aut auarus vt chremes terra premam
Discinctus aut perdam: vt nepos.

Laudes vitae rusticae

Beatus ille qui procul negociis
Vt prisca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni foenore.
Neqȝ excitatur classico miles truci
Neqȝ horret iratum mare
Forumqȝ vitat et superba ciuium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos.
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges.
Inutilesqȝ falce ramos amputans
Foeliciores inserit

Aut pressa puris mella condit amphoris
Aut tondet infirmas oues.
Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit
Vt gaudet insitiua decerpens pira
Certantem et uuam purpurae
Qua muneretur te priape et te pater
Siluane tutor finium
¶ Libet iacere modo sub antiqua ilice
Modo in tenaci gramine
Labuntur altis interim ripis aquae:
Queruntur in siluis aues.
Fontesq; lymphis obstrepunt manantibus
Somnos quod inuitet leues.
Aut cum tonantis annus hibernus iouis
Imbres niuesq; comparat.
Aut trudit acris hic et hinc multa cane

Apros in obstantes plagas
Aut amite leui rara tendit raetia
Turdis edacibus dolos:
Pauidumqꝫ leporem: et aduenam laqueo gruem
Iucunda captat praemia:
Quis non malarum quas amor curas habet
Haec inter obliuiscitur:
Quid si pudica mulier id patrem iuuet
Domum atqꝫ dulces liberos
Sabina qualis aut perusta solibus
Pernicis vxor appuli
Sacrum vetustis extruat lignis focum
Lassi sub aduentum viri.
Claudensqꝫ textis cratibus laetum pecus
Distenta siccet vbera.
Et horna dulci vina promens dolio
Dapes inemptas apparet:

Non me lucrina iuuerint conchilia
Magisue rombus aut scauri.
Si quos eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare.
Non aphra auis descendat in ventrem meum
Non attagen ionicus
Iucundior ꝙ̄ lecta de pinguissimis
Oliua ramis arborum.
Aut herba lapathi prata amantis: et graui
Maluae salubres corpori.
Vel agna festis caesa terminalibus:
Vel haedus ereptus lupo.
Has inter epulas vt iuuat pastas oues
Videre properantes domum:
Videre fessos vomerem inuersum boues
Collo trahentes languido.
Positosq; vernas ditis examen domus

Circum renidentes lares.

Haec vbi locutus foenerator alphius

Jamiam futurus rusticus

Omnem relegit idibus pecuniam

Quaerit Kalendis ponere

In Allium inuehitur.

Arentis olim siquis impia manu

Senile guttur fregerit:

Ædat cicutis allium nocentius:

O dura messorum ilia.

Quid hoc veneni saeuit in praecordijs

Num viperinus his cruor

Incoctus herbis me fefellit: an malas

Canidia tractauit dapes.

Vt argonautas praeter omnes candidum

Medea mirata est ducem

Ignota tauris illigaturum iuga

Perunxit hoc iasonem:

Hoc delibutis vlta donis pellicem

Serpente fugit alite.

Nec tantus vnq̄ſ ſyderum inſedit vapor

Siticuloſae apuliae

Nec munus humeris efficacis herculis

Inarſit aeſtuoſius

At ſiquid vnq̄ſ tale concupiueris

Ioco ſe mecoenas precor

Manum puella ſuauio apponat tuo

Extrema et in ſponda cubet.

In menam libertum

Lupis et agnis quanta ſortito obtigit

Tecum mihi diſcordia eſt

Hybericis peruſtae funibus latus

Et crura dura compede:

Licet ſuperbus ambules pecunia

Fortuna non mutat genus.

Vides ne sacram metiente te viam

Cum bis ter vlnarum toga

Vt ora vertat huc. et huc euntium

Liberrima indignatio:

Sectus flagellis hic triumuiralibus

Praeconis ad fastidium

Arat falerni mille fundi iugera:

Et appiam mannis terit:

Sedilibusq; magnus in primis eques

Othone contempto sedet.

Quid attinet tot ora nauium graui

Rostrata duci pondere

Contra latrones atq; seruilem manum

Hoc hoc tribuno militum.

Hic necromantiam canidie

In canidiam veneficam

At o deorum quicquid in caelo regis

Terras et humanum genus
Quid iste fert tumultus et quid omnium
Vultus in vnum me truces?
Per liberos te si vocata partubus
Lucina veris affuit
Per hoc inane purpurae decus precor:
Per improbaturum haec iouem
Quid vt nouerca me intueris? aut vti
Petita ferro bellua?
Vt haec trementi questus ore constitit
Insignibus raptis puer
Impube corpus quale posset impia
Mollire thracum pectora
Canidia breuibus implicata viperis
Crines et incomptum caput:
Iubet sepulchris caprificos erutas
Iubet cupressos funebres

Et vncta turpis oua ranae sanguine:
Plumamq; nocturnae strigis.
Herbasq; quas colchos atq; hyberia
Mittit venenorum ferax:
Et ossa ab ore rapta ieiunae canis
Flammis aduri colchicis.
At expedita sagana per totam domum
Spargens auernales aquas
Horret capillis: vt marinus asperis
Echinus: aut currens aper.
Abacta nulla veia conscientia
Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus
Quo posset infossus puer
Longo die bis terq; mutatae dapis
Immori spectaculo
Cum promineret ore quantum extant aqua

Suſpenſa mento corpora
Execta vti medulla et aridum iecur
Amoris eſſet poculum:
Interminato cum ſemel fixae cibo
Intabuiſſent pupulae.
Non defuiſſe maſculae libidinis
Ariminenſem foliam:
Et ocioſa credidit neapolis:
Et omne vicinum oppidum.
Quae ſidera excantata voce theſſala
Lunamq; caelo deripit
Hic irreſectum ſeua dente liuido
Canidia rodens pollicem
Quid dixit? aut quid tacuit? o rebus meis
Non infideles arbitrae
Nox et diana quae ſilentium regis
Arcana cum fiunt ſacra:

Nunc nunc adesse: nunc in hostiles domos
Iram atq numen vertite.
Formidolose cum latent siluis ferae
Dulci sopore languidae:
Senem quod omnes rideant adulterum
Latrent suburbanae canes
Nardo perunctum quale non perfectius
Meae laborarunt manus
Quid accidit? cur dira barbare minus
Venena medeae valent?
Quibus superba fuit vlta pellicem
Magni creontis filiam
Cum palla tabo munus imbutum nouam
Incendio nuptam abstulit.
At qui nec herba: nec latens in asperis
Radix fefellit me locis.
Indormit vnctis omnium cubilibus

Obliuione pellicum
Ah ah solutus ambulat veneficae
Scientioris carmine
Non vsitatis vare potionibus
O multa fleturum caput
Ad me recurres: nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus.
Maius parabo: maius infundam tibi
Fastidienti poculum.
Priusque caelum sidet inferius mari
Tellure porrecta super.
Quam non amore sic meo flagres vti
Bitumen atris ignibus.
Sub haec puer non iam vt ante mollibus
Lenire verbis impias
Sed dubius vnde rumperet silentium
Misit thyesteas preces:

Venena magnum fas nephasq; non valent
Conuertere humanam vicem
Diris agam vos dira detestatio
Nulla expiatur victima
Quin vbi perire iussus expirauero
Nocturnus occurram furor.
Petamq; vultus vmbra curuis vnguibus
Quae vis deorum est manium
Et inquietis assidens praecordijs.
Pauore somnos auferam
Vos turba vicatim hinc hinc saxis petens
Contundet obscenas anus.
Post insepulta membra different lupi
Et exquilinae alites.
Neq; hoc parentes heu mihi superstites
Effugerint spectaculum.

In maledicum poetam.

In poetam

Vid immerentes hospites vexas canis

Ignauus aduersus lupos?

Quin huc inanis si potes vertis minas?

Et me remorsurum petis?

Nam qualis aut molossus: aut fuluus lacon

Amica vis pastoribus

Agam per altas aure sublata niues

Quaecunque praecedet fera.

Tu cum timenda voce complesti nemus

Proiectum odoraris cibum:

Caue: caue: nanque in malos asperrimus

Parata tollo cornua

Qualis lycambae spretus infido gener

Aut acer hostis bubalo

An siquis atro dente me petiuerit

Inultus flebo vt puer?

Detestatio belli.

Quo quo scelesti ruitis: aut cur dextris
Aptantur enses conditi?

Parum ne campis atq; neptuno super
Fusum est latini sanguinis
Non vt superbas inuidae carthaginis
Romanus arces vreret:
Intactus aut britannus vt descenderet
Sacra catenatus via.
Sed vt secundum vota parthorum sua
Vrbs hec periret dextera.
Neq; hic lupis mos fuit neq; leonibus
Vnq; nisi in dispar feris.
Furor ne caecus: an rapit vis acrior?
An culpa responsum date.
Tacent et ora pallor albus inficit
Mentesq; perculsae stupent
Sic est: acerba fata romanos agunt:

Scelusq; fraternae necis
Vt immerentis fluxit in terram remi
Sacer nepotibus cruor

In anum impudicam.

Rogare longo putidam te saeculo
Vires quid eneruet meas.
Cum sit tibi dens ater et rugis vetus:
Frontem senectus exaret:
Hietq; turpis inter aridas nates
Podex velut crudae bouis:
Sed incitat me pectus et mammae putres
Æquina quales vbera
Venterq; mollis et femur tumentibus
Æxile suris additum.
Æsto beata: funus atq; imagines
Ducant triumphales tuum.
Nec sit marita que rotundioribus

Onusta baccis ambulet

Quid q̄ libelli stoici inter sericos

Iacere puluillos amant:

Illitterati num minus nerui rigent

Minusue languet fascinum

Quod vt superbo prouoces ab inguine

Ore allaborandum est tibi.

Designat anthonij et cleopatre bellum.

Quando repostū caecubū ad festas dapes

Victore letus caesare

Tecum sub alta sic ioui gratum domo

Beate moecenas bibam

Sonante mixtum tibijs carmen lyra

Hac dorium illis barbarum:

Vt nuper actius cum freto neptunius

Dux fugit vstis nauibus.

Minatus vrbi vincla que detraxerat

Seruis amicus perfidis
Romanus heu heu postea negabitis
Emancipatus foeminae
Fert vallum et arma miles: et spadonibus
Seruire rugosis potest:
Interq; signa turpe militaria
Sol aspicit conopeum.
Ad hunc frementes vertunt bis mille equos
Galli canentes caesarem
Hostiliumq; nauium portu latent
Puppes sinistrorsum citae.
Io triumphe tu moraris aureos
Currus et intactas boues.
Io triumphe nec iugurthino parem
Bello reportasti ducem:
Neq; africanum cui super carthaginem
Virtus sepulchrum condidit.

Terra mariq; victus hostis punico
Lugubre mutauit sagum.
Aut ille centum nobilem cretam vrbibus
Ventis iturus non suis:
Exercitatas aut petit syrtes noto:
Aut fertur incerto mari:
Capatiores affer huc puer scyphos:
Et chia vina aut lesbia:
Vel quod fluentem nauseam coherceat
Metire nobis caecubum
Curam metumq; caesaris rerum iuuat
Dulci lieo soluere

Deuouet moeuium poetam.

Mala soluta nauis exit alite
Ferens olentem moeuium:
Vt horridis vtrunq; verberes latus
Auster memento fluctibus.

Niger rudentes eurus inuerso mari
Fractosq; remos differat:
Insurgat aquilo quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.
Nec sydus atra nocte amicum appareat:
Qua tristis orion cadit.
Quietiore nec feratur aequore
Quam graia victorum manus
Cum pallas vsto vertit iram ab ilio
In impiam aiacis ratem.
O quantus instat nautis sudor tuis
Tibiq; pallor luteus
Et illa non virilis eiulatio
Preces et auersum ad iouem
Ionius vdo cum remugiens sinus
Noto carinam ruperit
Opima q si praeda curuo littore

Porrecta mergos iuuerit
Libidinosus immolabitur caper
Et agna tempestatibus.

Ad pectium de inachia.

Pecti nihil me sicut antea iuuat
Scribere versiculos amore percussum graui
Amore qui me preter omnes expetit
Mollibus in pueris aut in puellis vrere
Hic tercius december ex quo destiti
Inachia furere: siluis honorem decutit
Heu me per vrbem: nam pudet tanti mali
Fabula quanta fui: conuiuiorum et poenitet
In quis amantem langor et silentium
Arguit et latere petitus imo spiritus
Contraque lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium querebar applorans tibi
Simul calentis vt inuerecundus deus

Feruidiore mero arcana promorat loco

Quod si meis inaestuet precordijs

Libera bilis ut haec ingrata ventis diuidat

Fomenta vulnus nil malum alleuantia

Desinet imparibus certare submotus pudor

Ubi haec seuerus te palam laudaueram

Jussus abire domum ferebar incerto pede

Ad non amicos heu mihi postes et heu

Limina dura quibus lumbos et infregi latus

Nunc gloriantis quamlibet mulierculam

Uincere mollicia: amor lycisci me tenet

Unde expedire non amicorum queant

Libera consilia: nec contumeliae graues:

Sed alius ardor aut puellae candidae

Aut teretis pueri longam renidentis comam:

Ad mulierem anum et libidinosam

Rid tibi vis mulier nigrē dignissima barrē

Munera cur mihi cur ve tabellas
Mittis nec firmo iuueni: nec naris obesae:
Nanqꝫ sagacius vnus odoror.
Polypus: an grauis hyrsutis cubet hircus in alis
Quam canis acer vbi lateat sus.
Qui sudor vietis: et q̄ꝫ malus vndiqꝫ membris
Crescit odor: cum pene soluto
Jndomitam properat rabiem sedare. nec illi
Jam manet humida creta colorqꝫ
Stercore fucatus crocodilli: ianqꝫ subando
Tenta cubilia tectaqꝫ rumpit.
Vel mea cum saeuis agitat fastidia verbis:
Jnachia langues minus ac me
Jnachiam ter nocte potes: mihi semper ad vnum
Mollis opus pereat male quae te
Lesbia quaerenti taurum monstrauit inertem
Cum mihi chous adesset amynthas.

Cuius in indomito constantior inguine neruus
Quam noua collibus arbor inhaeret.
Muricibus tyriis itaeratae vellera lanae
Cui properabantur tibi nempe.
Ne foret equalis inter conuiuia magis
Quem diligeret mulier sua quam te.
O ego non foelix quē tu fugis: vt pauet acres
Agna lupos capreaeq; leones.

Ad contubernales.

Orrida tēpestas caelū contraxit et imbres
Niuesq; deducūt iouē nūc mare nūc silue
Threicio aquilone sonant: rapiamus amici
Occasionem de die dumq; virent genua:
Et decet obducta soluatur fronte senectus
Tu vina torquato moue consule pressa meo.
Caetera omitte loqui deus haec fortasse benigna
Reducet in sedem vice nunc et achemenio

Perfundi nardo iuuat et fide cyllenia
Leuare diris pectora sollicitudinibus
Nobilis vt grandi cecinit centaurus alumno
Inuicte mortalis dea nate puer thetide
Te manet assaraci tellus quā frigida parui
Findunt scamandri flumina lubricus: et simois
Vnde tibi reditum certo sub tegmine parcae
Rupere: nec mater domum cerula te reuehet.
Illic omne malum vino cantuq; leuato
Deformis aegrimoniae dulcibus alloquijs.

Ad mecoenatem.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Obliuionem sensibus
~~Pocula laetheos vt si ducentia somnos~~
Arenti fauce traxerim
Candide mecoenas occidis saepe rogando
Deus deus nam me vetat

Incoeptos olim promissum carmen iambos
Ad vmbilicum adducere
Non aliter samio dicunt arsisse bathyllo
Anacreonta teium
Qui persaepe caua testudine fleuit amorem
Non elaboratum ad pedem
Vreris ipse miser quod si non pulcrior ignis
Accendit obsessam ilion
Gaude sorte tua: me libertina neqꝫ vno
Contenta phrine macerat:

Ad neeram amicam

Nox erat: et caelo fulgebat luna sereno
Inter minora sidera
Cum tu magnorum numen lesura deorum
In verba iurabis mea
Arctius atqꝫ hedera procera astringitur ilex

Lentis adhaerens brachijs.

Dum pecori lupus: et nautis infestus orion

Turbaret hibernum mare:

Intonsosq; agitaret apollinis aura capillos

Fore hunc amorem mutuum.

O dolitura mea multum virtute neaera

Nam siquid in flacco viri est

Non feret assiduas potiori te dare noctes

Et queret iratus parem

Nec semel offensae cedet constantia formae

Si certus intrarit dolor:

Et tu quicunq; es foelicior: atq; meo nunc

Superbus incedis malo

Sis pecore et multa dives tellure licebit

Tibiq; pactolus fluat.

Nec te pythagorae fallant arcana renati:

Formaq; vincas nerea.

Heu heu traslatos alio moerebis amores
Ast ego vicissim risero.

Ad romanos

Altera iaz atteritur bellis ciuilibus aetas
Suis et ipsa viribus roma ruit
Quam neqz finitimi valuerunt perdere marsi
Minacis aut ethrusca porsenae manus.
Aemula nec virtus capuae nec spartacus acer
Nouisqz rebus infidelis allobrox:
Nec fera cerulea domuit germania pube
Parentibus abominatus hannibal
Impia perdemus deuoti sanguinis aetas
Ferisqz rursus occupabitur solum:
Barbarus heu cineres insistet victor et vrbem
Eques sonante verberabit vngula
Queqz carent ventis et solibus ossa quirini
Nefas videri dissipabit insolens
Forte quid expediat communiter aut melior pars

Malis carere quaeritis laboribus
Nulla sit hac potior sententia: phoceorum
Velut profugit execrata ciuitas.
Agros atq; lares proprios habitandaq; fana
Apris reliquit et rapacibus lupis.
Ire pedes quocunq; ferunt: quocunq; per vndas
Notus vocabit aut proteruus africus
¶ Sic placet an melius quis habet suadere: secunda
Ratem occupare quid moramur alite.
Sed iuremus in hec simul imis saxa renarint
Vadis leuata ne redire sit nefas.
Neu conuersa domum pigeat dare linthea quādo
Padus matina lauerit cacumina
In mare seu celsus procurrerit apenninus
Nouaq; monstra iunxerit libidine
Mirus amor iuuet vt tygres subsidere ceruis
Adulteretur et columba miluio

Credula nec fuluos timeant armenta leones
Ametq; salsa leuis hircus aequora
Haec et quę poterunt reditus abscindere dulces
Eamus omnes execrata ciuitas.
Aut pars indocili melior grege mollis et expes
Inominata perprimant cubilia.
Vos quibus est virtus muliebrem tollite luctum
Ethrusca preter et volate littora.
Nos manet oceanus circumuagus aura beata:
Petamus arua diuites et insulas.
Reddit vbi cererem tellus inarata quotannis:
Et impotata floret vsq; vinea.
Germinat et nunq; fallentis termes oliuae.
Suamq; pulla ficus ornat arborem.
Mella caua manāt ex ilice: montibus altis
Leuis crepante lympha desilit pede.
Illic iniussae veniunt ad mulctra capellae.

Refertq; tenta grex amicus vber
Nec vespertinus circumgemit vrsus ouile:
Nec intumescit alta viperis humus.
Pluraq; foelices mirabimur vt neq; largis
Aquosus eurus arua radat imbribus.
Pinguia nec siccis vrantur semina glebis:
Vtrunq; rege temperante caelitum:
Non hunc argoo contendit remige pinus:
Neq; impudica colchis intulit pedem.
Non hunc sydonij torserunt cornua nautae:
Laboriosa nec cohors vlixei.
Nulla nocent pecori contagia nullius astri
Gregem aestuosa torret impotentia.
Juppiter illa pie secreuit littora genti:
Vt inquinauit ere tempus aureum
Aere de hinc ferro durauit saecula: quorum
Pijs secunda vate me datur fuga

In eandem De veneficijs canidiae.

Amiam efficaci do manus scientiae
Supplex: et oro regna per proserpinae:
Per et dianae non mouenda numina:
Per atq; libros carminum valentium
Refixa caelo deuocare sidera.
Canidia parce vocibus tandem sacris
Citumq; retro solue solue turbinem
Mouit nepotem telephus nereium
In quem superbus ordinauit agmina
Misorum: et in quem tela acuta torserat.
Luxere matres iliae addictum feris
Alitibus atq; canibus homicidam hectorem.
Postq; relictis menibus rex procidit
Heu peruicacis ad pedes achillei:
Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges vlyxei:

Volente circe membra: tum mens: et sonus
Relapsus atq; notus in vultus honor
Dedi satis superq; poenarum tibi
Amata nautis multum et institoribus:
Fugit iuuentas: et verecundus color
Reliquit ossa pellem amicta luridam
Tuis capillus albus est odoribus
Nullum a labore me reclinat ocium:
Vrget diem nox et dies noctem: neq; est
Leuare tenta spiritu praecordia.
Ego negatum vincor vt credam miser
Sabella pectus increpare carmina:
Caputq; marsa dissilire naenia
Quid amplius vis o mare et terra ardeo:
Quantum neq; atro delibutus hercules
Nessi cruore. nec sicana feruida
Vrens in aetna flamma: tu donec cinis

Iniuriosis aridus ventis ferar
Cales venenis officina colchicis
Quae finis: aut quod me manet stipendium
Effare: iussas cum fide poenas luam
Paratus expiare: seu poposceris
Centum iuuencos: siue mendaci lyra
Voles sonari: tu pudica tu proba
Perambulabis astra sidus aureum
Infamis helenae castor offensus vice
Fraterq; magni castoris victi prece
Adempta vati reddidere lumina
Et tu potes: nam solue me dementia
O nec paternis obsoleta sordibus:
Neq; in sepulchris pauperum prudens anus:
Nouendiales dissipare pulueres.
Tibi hospitale pectus: et purae manus:
Tuusq; venter patumeius: et tuo

Cruore rubros obstetrix pannos lauit:

Vtcunq; fortis exilis puerpera.

Canidiam inducit loquentem.

Quid obseratis auribus fundis preces?

Non saxa nudis surdiora nauitis

Neptunnus alto tundit hibernus salo.

Inultus vt tu riseris cocytia

Vulgata sacrum liberi cupidinis:

Et exquilini pontifex: venefici

Impune vt vrbem nomine impleris meo:

Quid proderit ditasse pelignas anus

Velociusue miscuisse toxicum?

Sed tardiora fata te votis manent:

Ingrata misero vita ducenda est in hoc

Nouis vt vsq; suppetas doloribus:

Optat quietem infidus pelopis pater

Egens benignae tantalus semper dapis

Optat prometheus obligatus aliti:
Optat superno collocare sisyphus.
In monte saxum: sed vetant leges iouis.
Voles modo altis desilire turribus:
Modo ense pectus norico recludere:
Frustraq; vincla gutturi innectes tuo:
Fastidiosa tristis aegrimonia.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques
Meaeq; terra caedet insolentiae.
An quae mouere caereas imagines
Vt ipse nosti curiosus: et polo
Lunam euocare vocibus possim meis:
Possim crematos excitare mortuos:
Desideriq; temperare poculum
Plorem artis in te nil habentis exitum.)

Finis opusculi. cuius varius est ac pulcherrim⁹ fructus et vtilitas amplior q̄ vt verbis exprimi possit.

Libellus Horatij.

Iam censura grauis me castigauit ad vnguem

Crispantes nasos tutus adire queo.

Nam si me vitio quisq̃ʒ labefecerat vllo

Id mihi iam censor sedulus eripuit.

¶ Michaelis Tarchaniotae Marulli Constantinopolitani viri patricij Epigramma de poetis latinis.

Amor Tibullo. mars tibi Maro debet

Terentio soccus leuis.

Coturnus olim nemini satis multum.

Horatio satyra et chelys.

Epigramma acutum teste Rhallo adhuc nulli

Docto Catullo syllabae.

Hos siquis inter caeteros ponet vates

Oneret q̃ʒ honoret verius.

Joannes Cubitensis.

Viuent virgilij: viuent quoqʒ carmina Flacci

Donec erit phoeb⁹: dum vehet amnis aquas

Impressum in inclyta ciuitate Liptzgk p̱ Baccalariū Martinū Herbipolēsem Anno salutis. M. CCCC. xcij.

[illegible]
[illegible]

